

maliter nullo modo existere extra organum visus, *nego*. In exemplo laudato colores profecto ipsi aquae proprii non sunt, sed tamen per dispersum aethera vere efficiuntur, licet in transitu tantum » (PESCH, op. cit., n. 375).

Inst. III. — Mutato subiecto quod sentit, vel mutatis subiecti conditionibus, saepe repraesentationes sensiles proprietatum secundariarum mutantur. Ergo affirmandum proprietates secundarias aliud revera non esse, quam affectiones diversas sensuum nostrorum, ope motuum corporum excitatas.

R. — *Conc. antec. et nego cons.* Mutato subiecto quod sentit..., non modo saepe mutantur repraesentationes sensiles proprietatum secundariarum, sed mutantur quoque repraesentationes sensiles proprietatum primariarum, extensionis nempe, figurae, motus, quietis, etc. Ebrioso, e. g., persaepe videntur moveri quae illi ipsi, ante et post ebrietatem, caeterisque omnibus loco stantia apparent. Iam, si adversariis minime arridet reductio proprietatum primariarum ad meras affectiones sensuum nostrorum, nescimus quo pacto eam sibi licitam putent, quum agitur de proprietatibus secundariis. — Ex factis praecitatis hoc unum legitime inferri potest, scilicet, ad rectas proprietatum corporum repraesentationes habendas, nonnullas requiri conditiones (Cfr. *Logicam mai.*), quibus deficientibus, deficit quoque rectitudo repraesentationum.

CAPUT II.

DE NATURA CORPORUM.

Usque modo expendimus proprietates et phaenomena quae nobis perutilia sunt, immo et necessaria, ad ipsam corporum naturam indagandam. Nunc quaestionem hanc salebrosam tractare oportet, quae intime connectitur cum praecipuis quaestionibus metaphysicis, et circa quam optimi philosophi cuiuscumque aetatis multum adlaboraverunt. Ut autem quaestio tam magni ponderis ac momenti con-

gruenter evolvatur, simulque perspicuitati consulatur, via eliminationis procedendo, in primis excutiemus falsas sententias, postea deveniemus ad sententiam veram (1).

ARTICULUS I.

EXPENDUNTUR FALSA SYSTEMATA.

Multa admodum sunt systemata, plus minusve reprobanda, quae circa naturam corporum professi sunt philosophi. Haec tamen ad tria reduci possunt: *atomismum*, *dynamismum* et *monismum*.

§ I. DE ATOMISMO.

Expositio systematis. — Atomismus tenet corpora omnia nihil aliud revera esse praeter aggregationes atomorum natura immutabilium.

Systema hoc amplexati sunt, inter veteres, Empedocles, Leucippus, Democritus, Epicurus, Lucretius; inter recentes, Descartes, Gassendi, Newton, Secchi, aliique plurimi. At ipsi inter se acriter dissident, nam:

1) Alii (generatim veteres) censent atomos, quum ad corpora efficienda aggregantur, mutuo se tangere, sibique cohaerere; alii (recentes fere omnes) contendunt atomos, in omnibus corporibus, vel solidissimis, magnis intervallis absolute vacuis semper distare.

(1) Memoria tenendum est hic non quaeri constitutionem huius vel illius corporis, scilicet non quaeri utrum corpus A vel B sit chimice simplex an compositum, et, si compositum, ex quibus elementis componatur. Philosophus, dum constitutionem corporeae substantiae investigat, transcendit omnes particulares species corporum, sive simplicium, sive compositorum, et causas universales, i. e. principia constitutiva omnium corporum, indiscriminatim decernere nititur. Nec ideo putandum ipsum extra limites scientiae suae evagari; etenim, si verum est aliud esse principium et aliud principiatum, patet principia substantiae corporeae non esse corpora. Iam, si principia corporeae substantiae non sunt corpora, omnes experientiae fines praetergrediantur necesse est, insuper et metaphysicae, non autem chimicae, obiectum efforment.

2) Alii (qui *atomistae mechanici* vel etiam *puri* nominantur) cum Descartes dictant vires esse abstractiones mentis nostrae, atque ideo in atomis nonnisi extensionem quandam, motumque mechanicum, seu ab extrinseco procedentem, agnoscunt. Alii contra (*atomistae dynamici*) concedunt atomis vires, quibus moveri possint sese invicem atrahendo et repellendo; imo nonnulli (*atomistae chimici*) eo usque procedunt, ut affirmant tot atomorum species diversas existere, quot numerantur corpora chimice simplicia.

3) Athei et materialistae, praeter atomos absolute necessarias, improductas, aeternas, modo in corporibus aggregatas, modo per vacuum dispersas, nihil revera existere effutiunt; unde phaenomena omnia, ipsamque vitam sensitivam atque intellectivam, solis atomorum concursionibus conantur explicare. Verum theistae et spiritualistae: - a) docent atomos fuisse a Deo creatas, atque ab ipso ita primitus sapienter dispositas, ut subinde ordinate coirent, corporaque diversa efformarent: - b) in omnibus corporibus viventibus, aut saltem in brutis et hominibus, praeter atomos, admittunt substantiam quandam superiorem, simplicem, i. e. inextensam, quam putant atomis accidentaliter tantum uniri, sicut motor mobili vel nauta navi.

THESIS. — *Atomismus reiiciendus est.*

Prob. — Ut missa faciamus vitia inhaerentia solum huic vel illi atomismi formae, ipse:

I. — Non explicat naturam extensam, corpoream, quam tamen admittit. Et vero, atomistae docent corpora esse totidem aggregationes atomorum, i. e. substantiolarum, extensione quadam, licet minima, praeditarum; sed nihil in medium proferunt ad explicandam naturam atomorum. Atqui, sic agendo, ipsi evidenter non explicant, sed praesupponunt quod erat explicandum, praesupponunt scilicet naturam extensam, materialem, corpoream; totaque eorum doctrina, circa naturam hanc, in eo vertitur, ut affirmetur corpora maioris molis constare corporibus molis minoris.

II. — Dirimit continuitatem, seu unitatem proprie dictam,

substantialem, in omnibus corporibus, quae non sint merae atomi; affirmat enim corpora omnia sensibilia, imo ipsasmet moleculas, non esse nisi aggregationes atomorum. Agevero:

1) Corpora viventia (sicuti iam alibi innuimus et suis in locis demonstrabimus) continuitate quadam vera inter omnes suas partes donari debent;

2) Quoad corpora non-viventia continuitas vera agnosci debet saltem inter partes uniuscuiusque moleculae compositorum. Et sane molecula, omnibus consentientibus, est ultima pars possibilis compositi chimici. Aut igitur negamus compositum hoc esse substantiam novam, diversam a suis componentibus; aut concedimus unitatem substantialem, continuitatem veram unicuique moleculae. Sed prima hypothesis contradicitur certissimis chimicorum assertionibus. Ergo admittenda est hypothesis altera.

III. — Non admittit divisibilitatem nisi ubi iam inest divisio, insuper nullam reddit rationem indivisibilitatis atomorum. — Primum per se patet, nam atomistae dictant et ipsi atomos esse indivisibiles, saltem viribus naturalibus; nec tamen praeter atomos admittunt alia extensa unitate vera, essentiali, donata. — Alterum facile apparebit si recolueris atomistas nullum statuere principium activum, quod ipsam atomorum essentiam, seu substantiam, ingrediatur, eius partes quantitativas in unitate sua contineat, divisionemque impediat. Verum quidem est, atomistas dinamicos vires nonnullas atomis concedere. Sed vires istae ab ipsismet adversariis concipiuntur uti proprietates dimanantes ab atomorum essentia iam constituta, non autem uti principia constitutiva ipsius atomorum essentiae; unde possunt quidem esse causam attractivitatis et propinquitatis vel etiam contiguitatis atomorum, sed minime inservire possunt ad explicandam unitatem substantiae existentem inter omnes partes uniuscuiusque atomi, necnon earum absolutam indivisibilitatem.

IV. — Non explicat existentiam motus localis eiusque modificationes. — Contra atomistas mechanicos res liquet, nam omnis motus subaudit vim motricem, non solum in movente (quod in hypothesis atheorum non esset distinctum

ab ipsis atomis!), sed etiam in mobili (Cfr. pag. 21-2). — Contra atomistas dynamicos adnotare oportet actionem in distans impossibilem esse; impossibile enim evidenter est actionem inveniri, ubi non invenitur agens, vel saltem medium, quo agentis activitas diffundatur (1). Si igitur ipsi fingunt, sicuti reapse fingunt, atomos omnes (non exceptis illis aetheris) interstitiis vacuis undique separari, nescimus quomodo adhuc invicem attrahi ac repelli possint, sicque motum gignere aut solum modificare.

V. — Negat re, si non verbo, capacitatem corporibus producendi substantias novas. Nam ipsi atomistae chimici, qui atomos specie diversas admittunt, uno ore decernunt atomos eiusmodi esse, ut, quando ad efficienda corpora conveniunt, mutantur quidem quoad motum, locum, dispositionem, sed quoad naturam, seu substantiam, eadem semper perseverent. Atqui si atomi, quum ad corpora efficienda conveniunt, eadem quoad substantiam semper perseverant, claret nullam substantiam novam ex ipsis oriri, sed tantum nova accidentia, motus novos et novas relationes.

§ II. DE DYNAMISMO.

Expositio systematis. — Atomismo, praesertim mechanico, opponitur dynamismus (ex graeco *δύναμις*, vis) statuens corpora non esse nisi totidem aggregationes elementorum simplicium, seu inextensorum, essentialiter activorum, natura similium, atque immutabilium.

(1) «... Come ripugna che un essere operi senza virtù operativa, così ripugna che esso operi per virtù non applicata al soggetto, in cui l'azione deve riceversi. Ora tra due esseri distanti, e tra cui niente trama, cotesta applicazione di virtù non può in niuna guisa avverarsi. Dunque ogni azione vien meno. E di fermo, qui si tratta di azione transeunte, per la quale una data efficacia dell'agente dee passar nel paziente. Ora perciocchè questa efficacia è un accidente che richiede sempre d'inerire in una sostanza, domandiamo in quale sostanza inerisca, allorchè passa pel vuoto, interposto tra esso agente ed esso paziente? In nessuna. Dunque un tal trapasso non è possibile; e quindi non è possibile l'azione in distante » (LIBERATORE, *Del composto umano*, cap. IV. Art. 11).

Ex antiquis, inter dynamistas recensendi sunt Pythagorei: ex recentibus, Leibnitz (a quo principia corporum *monades*, h. e. unitates, nuncupata fuerunt), Wolff, Boscovich, Dugald-Stewart, Kant, Galluppi. Impraesentiarum autem vix datur atomismi patronus qui in explicatione proprii systematis non labatur in dynamismum.

Sed: — 1) Leibnitz negavit monadibus omnem vim qua in invicem agere possint, omnem actionem transeuntem. Verum caeteri dynamistae abnormitatem hanc quam cito repudiarunt.

2) Leibnitz largitus est omnibus monadibus intellectionem quandam, saltem obscuram, sine conscientia; unde inter monades superiores, i. e. spiritus, et monades inferiores, quibus corpora efflorescunt, non nisi differentiam accidentalem, maioris vel minoris claritatis cognitionis, agnovit. Boscovich monadibus inferioribus unice concessit vim attractivam simul et repulsivam, qua ipsae plus minusve uniantur, quin tamen unquam mutuo se tangant. Kant, praeter vim attractivam et repulsivam, alias vires, quas *plasticas* nuncupavit, necessarias duxit ad varia corporum phaenomena explicanda. Tandem multi recentiores contendunt elementa corporum quadam sentiendi virtute praedita esse; at non raro supponunt in omnibus viribus unam vim inesse originariam, hanc autem esse motum.

THESIS. — *Dynamismus reiiciendus est.*

Prob. I. — Quin explicet, perimit realitatem naturae extensae. Revera, iuxta ipsum, extensum oriri debet ex mera additione seu aggregatione entium iam per se subsistentium, et nulla extensione praedictorum. Atqui repugnat extensum oriri ex mera additione inextensorum; nemo enim dat quod non habet, et nihilum, nihilo addito, non nisi nihilum praebere potest (1). Ergo...

(1) «... L'indesteso non può mai dare l'esteso, perchè niuna cosa può dare ciò che non ha. Nè punto giova il moltiplicarlo; giacchè il raddoppiare la negazione non produce la sua contraria posizione. La ripe-

II. — Dirimit unitatem proprie dictam, seu substantialem, in omnibus corporibus utut minimis et oculorum aciem effugientibus; ipse enim statuit corpora omnia non esse nisi monadum aggregationes. Sed: — 1) sine unitate substantiali, inter omnes organismi partes, explicari nequeunt phaenomena vitae organicae; — 2) sine unitate substantiali, inter partes uniuscuiusque moleculae, servari nequit natura propria compositorum chemicorum.

tizione dell'unità vi porge il numero, non mai l'esteso. Per darvi l'esteso bisognerebbe che essa, oltre ad essere unità per cui ha relazione alla quantità discreta, avesse qualche altra cosa, per cui si riferisse alla quantità continua. Ora quale può essere quest'altra cosa in un essere del tutto indivisibile e senza parti? L'esteso ha parti fuori di parti; parti, che si continuano con altre parti. Nella moltitudine degli enti semplici queste parti mancano del tutto. In essa non solo ogni continuità, ma anche ogni vera contiguità è rimossa. La ragione si è perchè l'indivisibile non può toccare un altro indivisibile, se non con tutto se stesso. Imperocchè nell'indivisibile non essendo parti, non ci ha distinzione tra estremità e mezzo, ma tutto, per così dire, è estremità. Onde l'indivisibile non può toccare un altro indivisibile senza compenetrarlo occupando lo stesso luogo; nè l'uno può dirsi fuori dell'altro, ma entrambi sono reciprocamente nell'altro.

« Quindi è che il Boscovich e i dinamici posteriori stabiliscono gli enti semplici non contigui tra loro, ma più o meno sparpagliati nello spazio; e a spiegare il modo, onde essi formano l'esteso, ricorrono all'ordine costante in che dicono essere quelli tenuti, in virtù di mutua attrazione; la quale, ad impedire il contatto, si converte sotto determinata distanza in mutua ripulsione. Ma, lasciando stare l'arbitrario, che si scorge in questa capricciosa conversione dell'attrazione in ripulsione (et absurdum, paulo ante patefactum, cuiusvis attractionis vel repulsionis in distans); diciamo che questo ricorso non giova a nulla. Conciossiacchè l'ordine è una mera relazione, la quale non immuta l'essere delle cose nè le loro essenziali proprietà. Se dunque quegli enti sono essenzialmente distinti tra loro ed inestesi, essi restano tali, comunque ordinati e disposti. E vaglia il vero, supponete come stabili in una determinata distanza due punti. Potete dire che voi con ciò avete ottenuto una linea? Voi non avete altro che due termini, tra i quali può tirarsi la linea. Lo stesso discorso è da applicare al triangolo. Fingete tre punti tra loro distanti. Sono essi un triangolo? Certamente che no. Il triangolo non sorgerà, se voi non unite quei tre punti per mezzo di tre lati. Nè varrebbe il dire che essi sono uniti per via di reciproca azione; giacchè l'azione, reciproca o no che ella sia, non è certamente una linea » (Idem. ibidem).

III. — Negat re, si non verbo, differentias substantiales corporum, eorumque capacitatem producendi substantias novas. Et vero, in adversariorum sententia, monades omnes, aut saltem quae corpora efficiunt, habent similem naturam seu substantiam; quumque ad corpora efficienda conveniunt, mutantur quidem loco (si locum dari potest ubi non datur extensio), dispositione, et exercitio suarum virium, at minime mutantur in suo esse substantiali; unde ex ipsis non nova oritur substantia, sed oritur tantummodo novus ordo inter substantias iam existentes.

IV. — Aut gratis concedit cum Leibnitz, aut gratis negat cum Boscovich monadibus inferioribus facultatem cognoscendi. — Gratis concedit..., nam quotidiana consuetudo et observatio ostendunt nullam in mineralibus inesse vitam; in vegetalibus autem utique ostendunt inesse vitam vegetativam, sed nullam vitam cognoscitivam, sensitivam vel intellectivam. — Gratis negat..., nam, quemadmodum progressu tractationis manifestum fiet, ratio, qua substantiae simplices non cognoscunt, est earum materialitas, nempe earum dependentia a principio illo substantiali, passivo, quod est causa extensionis, divisibilitatis, inertiae, quodque *materia* appellatur. Nunc a dynamistis quaenam fit mentio huiusmodi principii? Nulla quidem! Nam, ex eorum iudicio, in corporibus non nisi principia activa seu vires, diversimode aggregatae, reperiuntur.

§ III. — DE MONISMO.

Expositio systematis. — Iuxta plures philosophos tum veteris, tum novae aetatis, unicum ens, unica substantia existit (*Brahma*, iuxta Vedantes; *natura* vel etiam *materia*, iuxta materialistas quosdam antiquos et recentes; substantia quaedam infinita extensione, atque infinita cogitatione instructa, iuxta Spinoza; *τὸ ego purum*, iuxta Fichte; *ratio absoluta*, iuxta Schelling; ens indeterminatissimum, *idea*, iuxta Hegel; voluntas quaedam, coeca iuxta Schopenhauer, repraesentatione praedita et tamen inconscia, iuxta Hart-

mann), corpora vero non sunt nisi partes, formae accidentales, phenomena varia illius.

Ita opinantes appellantur *monistae*, quia unicam admittunt substantiam; appellantur *evolutionistae*, quia censent unicam substantiam ab ipsis admissam, necessaria et continua evolutione, in varias rerum mundanarum formas abire; appellantur *pantheistae*, quia comminiscuntur substantiam unicam, quae sese evolvendo in varias rerum mundanarum formas abit, *esse vel fieri Deum!* — Porro, ex *pantheistis evolutionistis*, sunt qui tradant rerum formas uti obiectivas, reales (quamvis tantum phaenomenales); et sunt qui contra eas tradant uti subiectivas, ideales, videlicet uti cogitationes unius entis existentis. Priores appellantur *pantheistae realista*; alteri appellantur *pantheistae idealista*.

THESIS — *Monismus est omnino reiiciendus.*

Prob. I. — Si cum idealistis aperte non inficiatur realitatem naturae extensae, certe eam non explicat; sed tantum asserit extare naturam extensione praeditam, et continuo sese evolventem in formas novas.

II. — Ponit unitatem substantialem inter omnia entia existentia. At id manifeste opponitur, non solum observationi vulgari et scientifica (Cfr. cap. I, a. II), sed etiam conscientiae, quae profecto unicuique nostrum vetat ne suum esse, suasque operationes, tanquam esse et operationes alienas habeat.

III. — Subvertit prima principia rationis, nimirum principia contradictionis et causalitatis. — Subvertit principium contradictionis, quia simul componere vult, quae se mutuo expellunt, uti absolutus, necessarius, infinitus, simplicissimus, immutabilis Deus, et relativus, contingens, finitus, compositus, mutabilis mundus; imo sine ambagibus proclamat (cum Jordano Bruno e Hegel) *indifferentiam differentium, identitatem contradictoriorum!!* — Subvertit principium causalitatis, quatenus (ne alia dicamus) assignat molitionem huius mundi ordinatissimi enti, cui, adhuc in ultimo evolutionis suae stadio ab homine repraesentato, deest intelligentia qua

potis sit apprehendere totum artificium cuiusvis rei naturalis, quanquam minimae.

IV. — Denegat homini vitam personalem, ideoque etiam dominium suarum operationum, libertatem. Si enim homo non est nisi pars aut modificatio alterius, non ipse proprie agit quae agit, sed alter cuius ipse est pars vel modificatio. — Inducit fatalismum universale, quandoquidem contendit unicam substantiam existentem, vi suae naturae, necessario, semper et ubique evolvi: tollit omne discrimen inter ius et munus, honestum et inhonestum, meritum et demeritum: breviter, maiores ruinas congerit quam quae verbis enarrari possint.

ARTICULUS II.

EXPENDITUR VERUM SYSTEMA.

Systema hoc, a peripateticis et scholasticis quos penes exortum est et crevit, appellatur *systema peripateticum* vel *scholasticum*; a principiis autem, quae in corpora inducit, appellatur *systema materiae primae* et *formae substantialis*, vel etiam *hylomorphismus* (ex graeco ὕλη, materia, et μορφή, forma).

Hylomorphismum summo honore semper prosecuti sunt philosophi maximi nominis, quales Plato, Aristoteles, Cicero, Augustinus, Boëtius, Bonaventura, Thomas, Suarez et Leibnitz (1). Solum postquam insana novandi libidine in

(1) Audiatur ipse Leibnitz, reus confessus: « Non patitur brevis nostra ut in philosophiam longius excurramus; illud tamen obiter attigisse suffecerit, nos quoque non perfunctorie studiis mathematicis mechanicisque et naturae experimentis operam dedisse, et initio in illas ipsas sententias (atomismum et dynamismum), quas paulo ante diximus, inclinasse; tandem progressu meditandi ad veteris philosophiae dogmata nos recipere fuisse coactos. Quarum meditationum seriem si exponere liceret, fortasse agnosceretur ab iis, qui nondum imaginationis suae praedudiciis occupati sunt, non usque adeo confusas et ineptas esse eas cogitationes, ac illis vulgo persuasum est qui receptorum dogmatum fastidio tenentur, et Platoni, Aristoteli, Divo Thomae aliisque summis viris, tamquam pueris, insultant ». (*Systema Theol.*, op. post. n. XLIX).

Metaphysica, sicut in caeteris philosophiae partibus, omnia plane subversa fuerunt, philosophi neoterici, contemptu et risu, conati sunt illum oblivioni tradere. Sed risus et contemptus horum philosophorum fortasse non est ultimum argumentum veritatis nostri systematis: in praesenti autem aetate meminisse iuvat in dies augeri numerum eorum, qui illius praestantiam agnoscunt.

SYSTEMATIS EXPOSITIO.

Systema nostrum statuit omnia corpora ex duplici substantiali principio conflari; altero generico et identico in omnibus corporibus; altero specifico, ideoque diverso, pro diversis corporum speciebus. Primum *materia*, secundum *forma substantialis* nominatur.

Materia. — Materia, de qua hic agitur, non est substantia corporea; sed realitas potentialis, determinabilis, in ratione substantiae corporeae; principium substantiale, quod ab altero principio (forma substantiali) actuari nempe determinari debet in aliqua peculiari substantia corporea. Ut autem materia haec a materia communiter sumpta, h. e. a substantia corporea, discriminetur, illa *prima*, ista *secunda* vocari solet.

Materia prima definiri potest: *subiectum omnium mutationum substantialium*, nam ipsa, utpote principium formis substantialibus determinandum, omni corruptioni et generationi, h. e. omni mutationi substantiali subiiciatur oportet, sicut unaquaelibet substantia corporea (*materia secunda*) subiicitur alterationibus omnibus, h. e. omnibus mutationibus accidentalibus.

Forma substantialis. — Alterum principium, diversum pro diversis corporum speciebus, vocatur *forma substantialis*, quia format ipsum esse corporis, determinando materiam primam, quae est in potentia ad quodlibet corpus. Definatur autem: *actus primus materiae*. — Dicitur *actus*, nam est proprium formae actuare, scilicet perficere materiam, eamque determinare ad certum essendi modum. — Additur *primus*, quia perfectione sua determinat materiam ad esse

substantiae corporeae talis talisve naturae, quod est fundamentum omnium accidentium, quae advenire possunt, quaeque proinde vocantur etiam *actus secundi*. — Tandem dicitur *materiae*, ut distinguantur formae substantiales, de quibus hic agitur, a formis materiam non informantibus, h. e. ab angelis, qui ideo *actus sine materia* seu *formae separatae* solent quoque appellari.

Subordinatio formarum. — Formae substantiales informantes habent diversam perfectionem, atque eo se excipiunt ordine, ut superiores contineant virtute inferiores, nimirum valeant efficere in materia quidquid efficitur ab inferioribus. Hinc S. Thomas: «... nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva, et... ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa quidquid imperfectiores formae in aliis faciunt. Et similiter est dicendum de anima sensitiva in brutis, et de nutritiva in plantis, et universaliter de omnibus formis perfectioribus respectu imperfectarum » (*Sum. theol.* p. I, q. LXXVI. a. 4).

Ordo materiae et formae ad invicem. — Materia, ob suam naturam, exigit ut ab aliqua forma semper informetur; unde colligitur in mundi creatione ipsam una cum prioribus formis a Deo conditam fuisse (1).

De industria dixi una cum prioribus formis, nam materia non semper servavit easdem formas, sed quasdam amisit, ut novas adipisceretur. Sciendum itaque formas, alias esse *non-subsistentes, materiales*, tales nempe quae a materia pendeant in suo esse (huiusmodi sunt omnes formae substan-

(1) « Materiam, ait D. Augustinus, quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamen utrumque fecisti (Domine), ut materiam forma nulla morae intercapedine sequeretur » (*Conf.*, lib. XIII, cap. XXXIII). — Alighieri vero noster qui, ut quisque scit, non solum poëta, sed et summus philosophus fuit, hanc eandem simultaneitatem creationis formae et materiae, in primis corporibus, sic per belle expressit in Parad. c. 29:

« Forma e materia congiunte e purette
Usciro ad atto (compositum, corpus) che non avea fallo,
Come d'arco tricolore tre saette ».